UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

In Genesin Enarratio

Chyträus, David

Vitebergæ

VD16 C 2625

II. De furto Rachel, seu de operibus liberi Spiritus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36126

Visual Library

Parca, quod ſatis eſt manu. Item fabulas, de Tantalo & Mida.

II.
DE FVRTO Rachel.

Omnia opera confeßionis non ſimulatæ placent Deo, & in genere mandata ſunt in ſecundo præcepto, etiamſi in ſpeciem interdum media ſeu non neceſſaria eſſe uidentur, Vt cum Miles ille quem Tertullianus in libro de Corona Militis defendit, accepturus à Tribuno donatiuum, in manu geſtat Coronam lauream, quæ à cæteris in capite gerebatur, eoq; ritu teſtatur ſe Chriſtianum eſſe. Cum Irene filia Imperatoris Licinij ſtatuas aureas in ſacello patris deſtruit, Cum Laurentius reſiſtit Decio Imperatori auferentis ex ærario Eccleſiaſtico pecuniam, quam ſine peccato relinquere poterat. Talia uocantur opera liberi & ardentis Spiritus, quæ Deo placent propter confeßionem, quæ eſt anima talium operum. Sic Rachel Idola aurea patris ſecum auehit, ut hoc ipſo facto teſtetur, ſe improbare cultum idolorum, & nolle ea à patre coli, Nec ipſa colit, ſed aurum in uiaticum collatura eſt, quod iure ciuili & naturali à patre ſordido ipſi debebatur.

V.

Galaad גלעד id eſt, tumulus teſtimonij, eſt Ty-

pus ſacræ ſcripturæ, in qua plurima teſtimonia de Deo coacervata ſunt. Ioh. 5. Scrutamini Scripturas, illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me.

Incipit autem mons Galaad à Libano, & ad Arabiam uſq; pertinet, & regionem Iſraheliticam ultra Iordanem ab Ammonitide ſeparat.

CAPVT XXXII.

LOCI OCTO.

I. De Cuſtodia Angelorum.

II. De Vicibus ærumnarum & liberationum, dolorum & conſolationum, quas experiuntur Sancti.

III. De vitanda Tentatione Dei.

IIII. Forma veræ Inuocationis.

V. De miranda impletione promiſſionum diuinarum.

VI. De Lucta Fidei in tentationibus & ærumnis.

De